AUGUSTINUS

Klosterneuburg, Ende 12. Jh. Seite 60r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

deus largiatur, homo confiteatur. Et enim confessio hominis, humilitas hominis; miseratio dei, altitudo dei. Si ergo uenit ille ut dimitteret homini peccata sua, agnoscat homo humilitatem suam, et faciat deus misericordiam suam. Illum oportet crescere, me autem minui. hoc est illum oportet dare, me autem accipere; illum oportet glorificari, me autem confiteri. Intelligat homo gradum suum, et confiteatur deo, et audiat apostolum dicentem homini superbienti et elato, extollere se uolenti: Quid enim habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Intelligat ergo homo quia accepit, qui uolebat suum dicere quod non est eius, et minuatur. Bonum est enim illi ut deus in illo glorificetur. ipse in se minuatur, ut in deo augeatur. Hec testimonia et hanc ueritatem et passionibus suis significauerunt Christus et iohannes. Nam iohannes capite minuitur; Christus in cruce exaltatus, ut ibi appareret quid esset: Illum oportet crescere, me autem minui. Deinde natus est Christus cum iam incipiunt dies crescere; natus est iohannes quando ceperunt dies minui. Attestata est ipsa creatura et ipse passioni uerbis iohannis dicentis: Illum oportet crescere, me autem minui. Crescat ergo in nobis gloria dei, et minuatur gloria nostra, ut in deo crescat et nostra. Hoc enim dicit apostolus, hoc dicit sancta scriptura: Qui gloriatur, in domino glorietur. In te uis gloriari? crescere uis, sed malo tuo male crescis. Qui ergo male crescit, iuste minuitur. Crescat ergo deus qui semper perfectus est, crescat in te. Quanto ergo magis intelligis deum, et quanto magis capis, uidetur in te crescere deus; ipse autem non crescit, sed semper perfectus est. Intelligebas heri modice, intelliges hodie amplius, intelliges cras multo amplius; lumen ipsum dei crescet in te. ita pristina cecitate et incipit uidere paululum lucis, et alia die plus uideret, et tertia die amplius, uidetur illi lux crescere. lux tamen perfecta est, siue ille uideat siue non uideat. Sic et interior homo est: proficit quidem in deo, et deus in illo uidetur crescere; ipse tamen minuitur ut a gloria sua decidat, et in gloria dei surgat. Et distincte iam ac manifeste apparet quod modo audiuimus: Qui desursum uenit, super omnes est. Vide quid dicat de Christo, quid de se: Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui desursum uenit, super omnes est: Christus est. Qui autem de terra est, de terra est, et de terra loquitur: iohannes est. et hoc totum est iohannis: de terra est, et de terra loquitur. Totum testimonium quod perhibuit de Christo de terra loquitur? Sed de homine dicebat: quantum ad ipsum hominem pertinet, de terra est, et de terra loquitur; si autem aliqua loquitur diuina, illuminatus est a deo. Nam si non esset illuminatus, terra terram loqueretur. Ergo seorsum est gratia dei, seorsum est natura hominis. Nam naturam hominis interroga: nascitur, crescit, usitata ista hominum discit. Quid nouit nisi terram de terra? Humana loquitur, humana nouit, humana sapit; carnalis carnalia loquitur, carnaliter suspicatur: Ecce est totus homo. Veniat gratia dei, illuminet tenebras illius, sicut dicit: Tu illuminabis lucernam meam, domine; deus meus, illuminabis tenebras meas. Assumat mentem humanam.